



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Origenes præsentiam populi requirit in ordinando Episcopo. Cur ita visum. Quid significetur iis verbis, qui foris sunt, in prima Pauli epistola ad Timotheum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

& fortuna hominum committerentur & capita. In Christianorum ergo electionibus Episcopi promovendum per literas populo proponebant, aliquando in antecessum, ut factum in ordinatione Sabini, vel integram rem Concilio futuro reservabant, quando ad civitatem, cui præficiendus erat sacerdos, Episcopi accedebant. Tunc vel ipsi aliquem proponebant, vel à clero & plebe propositum, susceptis publicè testimoniis assistentis populi, electionem perficiebant. Propterea cum plebis testimonio maximè niteretur electionum gerendarum ratio, Cyprianus eam hortans ut à peccatore præposito suo discedat, nec sibi blandiatur quasi immunis à contagione delicti esse possit cum sacerdote peccatore communicans, addit: *Cum ipsa maximè habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi: quia scilicet illius testimonio stant præcipuè vel cadunt præponendi.*

VII. Præter veteris testamenti auctoritatem Cyprianus quoque loca duo Actuum adducit, ut probet plebis de testimonio ferendo potestatem, non autem jus æquum cum Episcopis, in agendis electionibus, ut quidam verba Cypriani detorqueant: *Quod postea secundum divina magisteria observatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo Petrus ad plebem loquitur. Surrexit, inquit, Petrus in medio dicenium. fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantum & Sacerdotum sed & in Diaconorum ordinationibus observasse Apostolos animadvertimus, de quo & ipso in Actis eorum scriptum est: Et convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem discipulorum, & dixerunt eis. Quod utique idcirco tam diligenter & cautè convocata tota plebe gerebatur, ne quis ad aliud ministerium vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet.* Non est hic uberius disputatio instituenda de locis istis, ex quibus Novatores electionum jura plebi vindicare solent; cum ex Cypriani verbis, quibus illi maximè nituntur, manifestè constet plebem ab Apostolis, qui Ecclesiæ rectores erant, ad hoc convocatam ut eorum testimonio de præficiendorum meritis fides fieri posset. Ceterùm ipsa rerum summa penes Apostolos erat. In primo quippe exemplo Petrus pro jure suo substituendum aliquem Iudæ edicit. Nec dubium quin ipse cum Apostolis duos illos constituerit, ut per sortes Dei voluntas de altero eligendo exploraretur. Ex mandato Apostolorum fideles inquirunt quinam essent apti ministerio: *Ἐπισκέψατε οὖν, ἀδελφοί, ἀνδρας ἐξ ὑμῶν μαρτυροῦμένους: Considerate, fratres, viros qui testimonium habeant eorum quibuscumque vixere. Qua ratione*

etiam Paulus Timotheum, licet sibi valde notum, Evangelistæ munere ornavit post testimonia eorum quibuscumque vixerat Lystris & Iconij: *ὅς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐκείνων ἁγίων & ἰσθίων ἀδελφῶν.* AA. 11.

VIII. Eadem fuerat mens Origenis homilia sexta in Leviticum: *Licet Dominus de constituendo Pontifice præcepisset, & Dominus elegisset, tamen convocatur & Synagoga. Requiritur enim in ordinando sacerdote & presentia populi; ut sciant omnes & certi sint quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium; & hoc adstante populo, ne qua postmodum retractatio culpam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem quod & Apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt. Patet itaque ex Origene populi præsentiam adhiberi ut sciat unusquisque omnia rectè atque ordine geri, & testimonium ferre possit de conversatione ejus de quo agitur. Ad quod probandum adducit locum Pauli in 1. Timoth. c. 3. ubi qui foris sunt significant eos qui non erant in Ecclesia. Argumentum ducitur à minori; ut notatur etiam in scholiis ex Chrysostomo: *Si enim ex iis qui foris sunt, quanto magis à fratribus: εἰ γὰρ ἄπο τῶν ἔξωθεν, πολλῶ μᾶλλον ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν.**

IX. Origenem Cyprianumque præmissi, quoniam rerum gerendarum ordinem præfaciunt, & vicem commentarij præstare possunt illustri Clementis Romani loco petito ex genuina ejus epistola, à veteribus tantopere commendata, quam Iunius Patricius ex codice MS. publicavit. Docet ille constitutum ab Apostolis, ad prævertendas quæ de episcopatu obtinendo exorituras prævidebant dissensiones, ut Episcopi in demortuorum locum ab ipsis Apostolis vel postea à claris & celebribus viris substituantur, gratum sibi hoc esse restante universa Ecclesia. Iudicio itaque & delectu eorum qui principem in Ecclesia locum tenent, id est, Episcoporum, dantur Ecclesiis Episcopi, ex Apostolorum instituto, sed qui sint grati & accepti fidelibus. Alioqui ni præcipua & summa esset in his delectibus Episcoporum auctoritas, discordiis in Episcopo eligendo Ecclesia quateretur adversus Apostolorum propositum. Hæc sunt Clementis verba: *οἱ ἀπίστολοι ἡμεῖς ἔγραψαν διὰ τοῦ κλεινοῦ ἡμεῖς Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅτι εἰς ἐξ ὑμῶν τοῦ οὐμῶντος ἔπισημοῦ. διὰ ταῦτα οὐκ αἰτίας, παρρησιασιν εὐληφότες τελείαν, κατέστησαν τοὺς παρρησιασιν, & μετὰ τὸ ἔπισημοῦ δεδοκίμασθαι ἀπὸ τῶν ἀπιστολῶν, διὰ τὸ ἔξωθεν ἔπειρα δεδοκίμασθαι ἀπὸ τῶν ἀπιστολῶν αὐτῶν &c. Καταστάσεις οὖν*